

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Clericus Romanus Contra Nimium Rigorem Munitus Duplici Libro**

Quorum Uno Veteris Ecclesiæ Severitatem, Altero Præsentis Ecclesiæ  
Benignitatem

[Veteris Ecclesiæ Severitatem]

**Francolini, Baldassare**

**Monachii, 1707**

**VD18 14592622-001**

Calumnia III. Iis, qui studiosè distulerant ad extremum vitæ pœnitentiam,  
ab Ecclesia veteri negata penitus venia fuit. Disp. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41172**



## CALUMNIA TERTIA.

*Ils qui studiosè distulerant ad extre-  
num vitæ pœnitentiam, negata pe-  
nitùs absolutio fuit.*

### DISPUTATIO III.

Dott. Discr.



Orinus de Admini-  
strat. Sacram. Pœ-  
nit. lib. 10. cap. 1.  
Gaspar Ivenin. in  
Comment. Histo-  
rico, & Dogmat.

de Sacram. Edmundus Martene de antiquis Ec-  
clesiae Ritibus cap. 6. art. 2. aliquique docent, tri-  
bus circiter prioribus sacerulis negatam ab Eccle-  
sia fuisse absolutionem in more iis omnibus,  
qui post pessimam vitam, ad mortem usque pœ-  
nitere distulerant. Tanta fuit (inquit in loco  
citato Morinus) eo tempore clementissimorum  
Patrum severitas, melius dixisset, clementissime-  
rum Patrum inclemensia. Id autem certum  
esse autem, ut nequeat ullo modo negari.  
Sua igitur proferant argumenta, ut si inelucta-

B 3

bilia

E. II

20

## 22. DISPUTATIO III.

bilia sint, manus demus. Quod, rogo, habet tam forte, tam validum?

**2.** Doct. Rig. Habemus multa. Habemus primò clarissimum Cypriani suffragium scribentis nomine aliorum quoque Episcoporum ad Antonianum. Idcirco frater carissime, Penitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifeste lamentatione sua professione testantes, prohibendos omnino, censuimus à spē communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cooperine deprimi, quia rogare illos non delicti penitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignum est in morte recipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. Quid clarius dici potest.

D. D. Esto ita senserint aliquot Praefule Aphricani, non inde sequitur, hunc fuisse Ecclesiæ sensum.

D. R. Hunc fuisse demonstrat is ultimus Canon Arelatensis primi Concilii. De his apostatarant, & nunquam se ad Ecclesiam representant, nec quidem penitentiam agere petunt, & postea infirmitate correpti petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, nisi revaluerint, & egerint fructus dignos Penitentie. Hic autem negari cum communione etiam absolutionem, constat ex usu illorum temporum, cum autem in hanc Synodus ex

tota ferè occidentali Ecclesia , convenerint Pa-  
tres, nempe ex universa Gallia , Italia , Hispa-  
nia , Africā , ipsaque Anglia , & Sicilia , ut o-  
stendit Baron. ad ann. 314. cūmque ei præfue-  
rint Sylvestri Papæ legati , ad quem etiam mis-  
sos fuisse hujus Concilii Canones , idem testa-  
tur manifestè , hunc fuisse universæ , ipsiusque  
Romanæ Ecclesiæ sensum.

DD. Manifestam hanc consecutionem ne-  
go, primò quia certum non est, consueuisse ve-  
terem Ecclesiam non absolvere , quos commu-  
nione privabat , quin oppositum fuisse ab ea  
facilitatum, pluribus suo loco probabo. Nec  
solus hanc sententiam tueor , sed alii apud Ca-  
bassutium , qui agens de hac ipso poena subla-  
tæ etiam in morte communionis tam frequen-  
ter ab Eliberinis Patribus inficta , sic habet in  
Concil. Illiber. n. 7. Illa Communionis in ipso  
exitu vita statuta privatio nullatenus reconcili-  
ationis , seu absolutionis , sed Eucharistia Sa-  
cramentum adimere censenda est. Rationes  
autem quibus hanc suam interpretationem fir-  
mat, omnes, quotquot assert , probant , hunc  
etiam Arelatensis Concilii Canonem de sola  
Eucharistiæ privatione , non autem de priva-  
tione veniæ esse intelligendum, ut eum legenti,  
expendentique ea, quæ mox dicentur, patebit.  
Secundò refert quidem Baronius, missos ad Syl-  
vestrum Pontificem hujus Concilii Canones, ab

B. 4

eo

E. II

20

eo autem confirmatos fuisse non refert; nec referret labantem animum confirmaret, cum in Epistola scripta ab eadem Synodo ad Sylvastrum, pro confirmatione Canonum, qui in eadem recitantur, praecitatus Canon non reperiatur, sed alter oppositus, in quo sine illa exceptione absolvii jubentur iij, qui sunt in mortis periculo constituti, nempe is. De his, qui in infirmitate sunt constituit, & recedere volunt, placuit eis manus imponi. Idem autem era ut alibi dicam, Rœnitenti manus imponere, & eum absolvere: communio autem iisdem non conceditur, quia eorum aliqui lapsi erant in culpas, quæ (ut eorum temporum, aut aliquorum Ecclesiarum disciplina ferebat) perpetui Communionis privatione plectebantur, quod confirmatur, quod dicebam, videlicet non semper negatam fuisse veniam iis, quibus fuit negata communio. Demum idem Baron. ad ann. cit. num. § 2. vehementer suspicatur prædictum Concilium Arelatense fuisse à Donatistis depravatum. Igitur nihil certi ex eo deponi potest.

D. R. Ut ut in aliquibus hujus Concilii authoritas summa non sit, nemo tamen fraudem in prædicti Canonis additione, vel deprivacione contigisse suspicatus unquam fuit, nec suspicari permittit Innocentius Papa I. qui in ea Epist. quam ad Exuperium Tolosanum Episco-

pum

pum scribit, jubet quidem omnes quamvis se-  
rò, & solum in morte pœnitentes absolvit; mo-  
net tamen alium fuisse veteris Ecclesiæ morem,  
nempe negandi hujusmodi Pœnitentibus etiam  
in morte reconciliationem, & communionem,  
& solum concedendi ipsis pœnitentiam, nempe  
iusti, ut si convalescerent, possent agere in Eccle-  
sia cum reliquis Pœnitentibus publicam pœni-  
tentiam, eaque peractâ tandem reconciliari.  
Hoc autem jus tradebat hujusmodi ægris Sa-  
cerdos adscribendo eos in numerum Pœniten-  
tium, superponendo ipsis in lecto decumben-  
tibus cilicium, eisque interea super ipsos pre-  
ces recitando, quæ die cinerum super Pœniten-  
tes recitari consueverant, non autem eos ab-  
solvendo. Prædicti Pontificis verba sunt hæc:  
Et hoc quesitum est, quid de his observare oport-  
eat, qui post Baptismum omni tempore incon-  
tinenter, & voluptatibus dediti in extremo fine  
vie sue pœnitentiam simul & reconciliationem  
communionis expostunt. De his observatio-  
prior durior, posterior, interveniente misericor-  
dia, inclinatior est. Nam consuetudo prior re-  
nuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed com-  
munionio negaretur. Nam cum illis temporibus  
trebre persecutiones essent, ne communione con-  
cessa facilitas homines, de reconciliatione se-  
curos non revocaret à lapsu, negata merito  
communionio est, concessa pœnitentia, ne totum

B. S.

penit.

penitus negaretur, & duriorum remissionem sequitur tempore ratio. Sed postquam Dominus nosser pacem Ecclesijs suis reddidit, jam depulso terrore communionem darsi abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi Viatum cum profecturis, ne Novatiani Heretici negantibus venia asperitatem. & duritiam subsequi videantur. Tribuatur ergo cum Pœnitentia ex grema communio, ut homines ejusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, & perpetuo exitio vindicentur. Refert igitur Innocentius, hunc fuisse morem priorum temporum negandi prædictis, etiam in morte, veniam, & communionem, quem morem ipse tollit præcipiens, ut omnes reconcilientur, ratione ibi allata.

6. D. D. Resp. excitato textu, corruere Canonem Arelatensis Concilii, nec probari ab Adversario, quod intenditur. Refert Innocentius, solum tempore persecutionum consueisse Ecclesiam negare nimis serio pœnitentibus communionem, & reconciliationem, ergo non fuit ea negata à Concilio Arelatensi, vel negata fuit, non fuit ille Canon approbatus, aut usu receptus, quandoquidem illud Concilium celebratum fuit post pacem Ecclesiæ redditam à Constantino, qui eidem Concilio interfuit, nempe anno 314.

7. Non probatur autem ex textu, quod in

intenditur ab Adversario, imò reprobatur, nam asserit Innocentius, fuisse olim negatam quidem communionem serò pœnitentibus, concessam verò pœnitentiam, quo nomine deberi intelligi veniam, & absolutionem, probo sic contra Morinum. 1. Quia licet sani, qui petebant pœnitentiam, non peterent illicò res conciliari (quod ipsum usquequaquè verum est) sed adscribi numero Pœnitentium, & sibi imponi satisfactionem exhibendam, ut postea reconciliarentur, infirmi tamen, & mox moritūridum petebant pœnitentiam, petebant reconciliari statim, cum scirent instare mortem. Dum ergo dicitur illis concessa pœnitentia, significatur, concessam eis fuisse absolutionem, & veniam. 2. Julius I. ut refertur 12. causa. 26. q. 6. dicit, quod Presbyter morientibus pœnitentiam abnegans reus erit animarum, hoc autem falsum esset, nisi cum pœnitentia data fuisse absolutio. 3. Cœlestinus in ea Epistola, quam capi superiori laudavimus, dum ait *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari*, nomine pœnitentiæ significavit absolutionem, non enim Episcopi illi negabant eam cœremoniā adscribendi morientes inter pœnitentes, sed absolutionem negabant, quam Pontifex dari mandavit. Ergo dum Innocentius asserit, concessam fuisse Pœnitentiam, absolutionem fuisse concessam affirmat. 4. In libris Rituibus.

E. II

2. 3

libus veteris Ecclesiæ, in quibus habemus scriptam cœremoniam dandi pœnitentiam infirmis, datut eisdem per eandem cœremoniam absolutio, ut videre est in iis, quos idem Morinus concessit in calee sui operis de Pœnit. & cap. 11. lib. 8. num. 6. ubi affert hæc verba libri pœnitentialis Ecberti Cantuariensis Archiepiscopi, quem librum idem vocat ibi antiquissimum. Omni tempore quando ad agrotum veneris, data pœnitentia statim reconcilia eum, ita dicendo, Majestatem tuam Domine suppliciter deprecamur &c. Misereatur tui &c. Ergo hoc era dare pœnitentiam Infirmo, nempè ipsum absolvere per dictam cœremoniam, qua cilicum ipsi decumbenti superponebatur, imponebatur ei manus, recitabantur preces absolvitoria &c. Scio hos libros esse posteriores primis Ecclesiæ sæculis, monet tamen Morinus ipse lib. 4. cap. 18. n. 1. eis contineri veteris Ecclesiæ mores, ritus. Et sanè quidnam faciebat Sacerdos pœnitentiam concedens Infirmo, si cum non absolvebat?

§. D. R. Recitabat eas preces super infirmum, eaque præstabat, quæ fieri solebant, cum in die Cinerum Pœnitentes ad pœnitentiam publicam admittebantur, ut dictum est.

¶. D. D. Non recuso interpretationem, sed infero, ergo Infirmus absolvebatur, cum (ut Calumna 11. probabo) aut prædictæ cœremo-

nix continerent veram absolutionem, aut Ecclesia vetus nunquam absolverit; cum enim absolvit, nihil amplius praestitit, quod absolutioni conduceret, quam cum per praedictas cœterias pœnitentiam dare consuevit.

D. R. His Innocentij verba repugnant, 10.  
aut enim duriorem fuisse priorem, & antiquam observationem solam pœnitentiam praedictis infirmis concedendi; quod falsum esset, si ipsis post pessimam vitam, & solo mortis terrore pœnitere coactis venia concessa foret. Kursus iisdem ipse pœnitentiam, & communionem concedit; ne Novatianos veniam negantes imitari videretur. Ergo nisi concessisset communionem, & morem antiquum observari jussisset, visus fuisset negare veniam, ut Novatiani faciebant, ergo is erat mos antiquus, nempe veniam, & absolutionem negandi. Et confirmatur, nam controversia inter Catholicos, & Novatianos erat de negatione veniae, seu absolutionis, non de negatione communionis, ergo mos antiquus si videbatur Novatianismus (quamvis non esset) negabat veniam, & absolutionem praedictis infirmis ex solo mortis metu pœnitentibus, non vero solam communionem. Deinde vocat eam communionem, reconciliationem, ergo Veteres privantes communione praedictos infirmos, reconciliationes, & absolutione privabant. Et confirmatur

tut

E. II

20

tur iterum. Nam prior illa durior observatio negandi his Pœnitentibus communionem fuit inducta, ne Fideles de obtinenda postea reconciliationē securi facultus laberentur, & Christum in tormentis abnegarent, ergo privata Communione non reconciliabantur, alioquin ille mos à lapsu, & Apostasia eos non revocasset. Tandem permittit ipse communionem, ut homines in supremis suis à perpetua exitio vindicentur ergo qui ea communionem privabantur, ergo non absolvebantur, si enim fuissent absoluti, tam securi salutis fuissent, quam postea futuri erant concessa ipsis communione.

**11.** D.D. Valida argumenta sunt hæc, at esse videntur, sed longe validiora sunt illa, quæ suadent à vetusta Ecclesia nunquam fuisse prædictis infirmis negatam veniam, adeoque Innocentii verba esse aliter interpretanda.

D.R. Et quænam sunt isthæc tam fortia, tam ineluctabilia argumenta, ut prædictis Innocentij verbis, aliisque Patrum testimonij validiora sint?

**12.** D.D. Afferam, & modò sis æquus Iudex, non repugnabis. Et primò omnium Theologorum totiusque Ecclesiæ sensus is est, & certa persuasio, non posse licet Sacerdotem à moribundo verè pœnitente, quamvis scelerrissimo rogatum negare ei absolutionem,

servi  
tione  
tear  
Chri  
privan  
alio  
on ro  
unio  
perio  
nior  
enin  
flem  
com  
, 2  
que  
e lo  
riss  
s In  
onip  
Ju  
ium  
est  
tem  
ele  
&  
it.  
serv  
negaret, haberetur ab omnibus tanquam in-  
humanus, ergo non potuit Ecclesia, ut id fie-  
ret, suo decreto fancire.

Secundò, hæc etiam est omnium Theo- **13.**  
logorum, totiusque Ecclesiæ doctrina, nempè  
obligari omnes Fideles, saltem in articulo mor-  
tis, lumere Sacramentum pœnitentiæ, adeoque  
ipsum petere; hoc autem esset falsum; nemo  
enim tenetur ponere medium inutile, imò illi-  
citum, adeoque petere à Sacerdote, quod is  
non est concessurus, nec potest licetè conce-  
dere; Sacerdos autem veteris Ecclesiæ, si (ut  
fertur) prædictos nimis serò pœnitentes ab-  
solvere prohibebatur, eos non poterat licetè,  
imò nec validè absolvere, ergo nec ipsi abso-  
lutionem petere tenebantur.

Tertiò; Ex mente ipsius Cypriani, non  
licebat absolutionem denegare morientibus,  
quamvis Icelestissimi fuissent, si non studiosè  
distrulerant pœnitentiam; sic enim habet in  
Ep. 54. ad Cornelium Pontificem, loquens  
de prædictis, qui in mortis periculo veniam  
petebant. Nec enim fas erat, aut permisit hac  
paterna pietas, & Divina Clementia Ecclesiam  
pulsantibus claudi, & dolentibus, & deprecanti-  
bus spei salutatis subsidium denegari, ut de se-  
culo decedentes sine communione, aut pace Do-  
mini dimitterentur. Et paulo post: Quod si  
Collegis aliquis extiterit, qui urgente ceres-  
mine

mine pacem fratribus, & sororibus non putandum, reddet ille rationem in die Judicii Domini, vel importuna censura, vel inhumani duritiae sue. Igitur ex Cypriano est importunus, & inhumanus censor, peccatumque contumaciam paternam pietatem, qui infirmo, quamvis ante fuerit scelestissimus, veniam negat, si nondistulit in mortem poenitentem, ergo hujusmodi etiam est, nempe inhumanus, & impius, si veniam negat infirmo, qui distulit poenitentem. Scilicet hunc magis deliquisse per eam studiosam dilationem, sed etiam qui à Fide delcivit, quod Deo maledixit, qui malo Dæmoni Sacrificium per plures annos obtulit, certè magis peccavit, quamvis, qui illicitis voluptatibus detentus ad mortem distulit poenitentiam. Atque qui primò non differenti Poenitentiam veniam negat, est, ut dicit Cyprianus, inhumanus, & impius, ergo erit hujusmodi, qui veniam alteri, ob eam poenitentiæ dilationem non impertitur.

**¶ 3.** D. R. Est lata disparitas, nam poenitentiam serò, & solum ex metu mortis, præsumuntur non verè dolere, ut idem Cyprianus in Ep. ad Antonianum afferit, quia rogare ab non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, secus autem qui ante mortem veniam petit. Præterea Cyprianus in hac Epist. § 4. ad Cornelium loquitur de Fidelibus

qui sacerdente Decii persecutione erant à Satellitibus iterum capiendi, & torquendi, ut ergo alacriores ad novam pugnam prosilirent post primam, in qua victi fuerant, erant de primo laplo absolvendi, quæ ratio tam sero poenitentibus succurrendum esse non probat.

D.D. Respondeo primam rationem afferri 16.  
non posse, si enim qui solum in morte absolvi petunt, non verè dolent de peccatis; jam non debuit Ecclesia post prima illa tria sæcula præcipere, ut absolverentur; hoc autem fuisse præceptum, & quidem Sanctissimè, concedunt omnes; ergo si ex ea de falsi doloris persuasione in eum rigorem perductus fuit Cyprianus, falsa ipse persuasione deceptus est. Altera autem ratio retorquetur in Cyprianum. Ut lapsi in prima pugna Fideles alacriores novum bellum cum Decii satellitibus inirent, absolvi debuere; ergo ut lapsi anteà per totam vitam male traductam, ut non laberentur iterum in morte, nempè in ea terribili pugna, quam Infernus Draco habens iram magnam eo tempore instaurat, debuerunt absolvi; ergo si lapsis, de quibus loquitur Cyprianus, est veniam danda, eamque abnegans est inhumanus, venia quoque sero poenitentibus ægris danda fuit, eamque dare renuens debuit inhumanus haberi. Id si quis neget, auctoritate Cœlestini affirmare cogetur, cuius Pontificis decre-

C tum,

tum in superiori disputatione ex parte allegatum, hic totum afferre necesse est, & hoc erit quartum argumentum.

17. Is igitur Pontifex cum rescisset in Gallia hujusmodi ægris, qui tamdiu poenitentem distulerant (quem initio citavimus) veniam in morte negari, sic Ep. 2. cap. 2. ad Episcopos Gallicanos scribit. *Agnovimus, pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum desiderijs annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri.* Horremus fateor, tantæ impietati aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quia si non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absolvii possit, occidere? Cum Deus ad subveniendum sit paratissimus, & invitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori, inquiens. *Quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei, & iterum nolo mortem peccatoris, sed tantum convertitur, & vivat.* Salutem ergo homini admisit quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit, & desperat de Clementia Dei, qui eum ad subveniendam morienti sufficere, vel in momento posse, non credit. Perdidisset latro in Cruce præmium ad Christi dextram pendens, si illum

illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Vera ergò ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est estimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter afferente. Cum conversus in gemueris, tunc salvis eris. Cum ergò Dominus sit cordis inspecto, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti &c. Igitur ex Cælestino, committit horribilem impietatem, & crudelitatem, ipsasque animas perimit, qui ægros prædictos tam sero pœnitentes non absolvit. Atqui Ecclesia nunquam potuit præcipere aut probare morem horribiliter impium, & crudelem, quo animæ mors æterna inferatur: ergò Ecclesia nunquam probavit, aut probare potuit, ne dum præcipere, ut veniam, sic differentibus pœnitentiam, negaretur. 18.

D. R. Cælestinus non redarguit factum, sed causam facti, nempe errorem prædictorum Episcoporum, qui putabant, à Deo non remitti prædictum peccatum nimia dilatationis, desperabantque de Divina Clementia, & propterè veniam negabant, ut patet ex citatis verbis, hinc totus estin probando, Deum remittere quodvis peccatum, & quovis tempore,

D. D. Imò factum redarguitur à Ponti- 19.  
ce, nam solum factum ipsi relatum fuerat. Sic enim redarguere cœpit. Agnovimus Pœnitentiā morientibus denegari, nec eorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ

*sua cupiunt remedio subveniri.* Ecce tota querela, qui prædictos Episcopos accusârunt, in qua nihil de prædicto eorum errore in fide, & spe Divinæ clementiæ, & rursus dum additum esse ægrorum animas perimere per horribilem crudelitatem, utique factum damnat, præcisus ex damno illato ipsis animabus, & non ex eorum Sacerdotum errore. Quamvis, quia hoc faciebant, aut fieri permittebant illi Episcopi ex aliquo errore, putantes non quidem Deum non posse condonare omne peccatum, aut non condonare de facto, cum poenitens se disponit. (is enim fuisset error intolerabilis, qui caderet non potuit in ejusmodi Episcopos) sed non esse sufficientem eam brevem dispositionem, & dolorem, quem prædicti ægri post vitam tam malè traductam, & ex metu mortis concipiabant, ideo Pontifex, ut radicitus nimium illum rigorem evellat, ostendit Deum esse promptissimum ad ignoscendum, & satis esse ad hanc veniam obtinendam, brevissimam poenitentiam etiam in morte conceptam.

20. Et confirmatur alio decreto, nempè Sancti Leonis Primi, qui epist. 89. ad Theodorum Forojuliensem, agens de his ipsis, qui diffundunt ad ultimum vitæ terminum poenitentiam si habet. His autem qui tempore necessitatis in periculi urgentis instantia præsidium poenitentia, & mox reconciliationis implorant,

satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio de-  
neganda, quia misericordia Dei, nec mensuras  
possimus ponere, nec tempora definire, apud  
quem nullas patitur veniae moras convercio,  
dicente Spiritu Dei per Prophetam. Cum con-  
versus ingemueris, tunc salvus eris. Et alibi:  
Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris. Et i-  
terum. Quia apud Dominum misericordia, &  
copiosa apud Deum redemptio. In dispensan-  
dis itaque Dei donis, non debemus esse difficil-  
es, nec accusantium se lacrymas, gemitusque  
negligere, cum ipsam pænitentiam ex Dei cre-  
damus inspiratione conceptam, dicente Aposto-  
lo, ne forte det illis Deus pænitentiam, ut re-  
spicant à Diaboli laqueis, à quo capti tenen-  
tur ad ipsius voluntatem. In hoc Leonis re-  
sponso notanda præsertim sunt aliqua, & pri-  
mò ea verba, quia misericordia Dei, nec men-  
suras possimus ponere, nec tempora definire,  
quibus ostenditur, quod, veniam negat his se-  
rō penitentibus, ponit eos terminos miseri-  
cordia Dei, quos ipse Deus non posuit, quod  
sine temeritate fieri non potest; quare meritò  
asterit, non posse Ecclesiam hoc facere. Ergo  
Ecclesia nunquam id fecit, alioquin errasset  
faciendo, quod facere non poterat. Secundò,  
notanda sunt illa in dispensandis Dei donis non  
debemus esse difficiles. Ergo non debuit un-  
quam negari absolutio moribundo, utcunque

C 3

dolo-

dolosè distulerit pœnitere. quæ enim major difficultas in dispensandis Sacramentis esse potest ea, qua quis recusat eum absolvere, qui in ipso vitæ exitu, atque imminentis jam iudicij limine suppliciter, & cum lacrymis reconciliationem exposcit, ex qua pendet æterna salutis æternumque supplicium?

21.

D. R. Debuit in tempore pœnitere (spondenter Cyprianus, aliique Patres Ecclesiæ veruæ, qui seras hujusmodi lacrymas neglexerunt) sibi imputet Ecclesiæ difficultatem, & rigorem.

D. D. Sed cur tam seras lacrymas non despicit Leo, monétque non esse despiciendas? Non debemus, inquit, accusantium lacrymas, gemitusque negligere. Audiamus optimam rationem. Qui credere debemus, pœnitentiam esse ex Dei inspiratione conceptam. Credant dixi Doctores horum pœnitentiam esse ex matre mortis, nempè, ut ipsi dicunt, ex amore proprio profectam, ego credam cum Leone, horum, aliorumque pœnitentiam esse ex Dei inspiratione conceptam, & quoniam ita esse credendum, semper asseram, ita veterem Ecclesiæ, quæ errare non potuit, credidisse, nec unquam sero pœnitentibus veniam abnegasse. Quod autem dicebatur; Debuit in tempore pœnitere, nec tamdiu differre, non satis Benedictum est. Jam enim nunquam absolvit pœnitens

nitens deberet, debuit enim non peccare, & tursus nec is, qui suâ culpâ in gurgitem proslapsus est, & posteâ pœnitens facti cum lacrymis auxiliares manus exposcit, exaudiendus erit, quamvis extrahi facillimè possit; debuit enim se non præcipitare. Num culpâ non careat tanta inclemensia, & culpa carebit omni, eritque veteris Ecclesiæ præconium, quod Pœnitentes in culpam lapsos, jämque eterno exitio absorbendos, quamvis facillimè in tuto collocari possent, otiosa spectârit? An vero major corporum cura habenda est, quam animarum?

Sed redeundum est ad Leonem, siquidem 22. post allegata verba hortatur Fideles, ne differant converti de die in diem, illiusque temporis angustias eligant, quo vix inveniat spatiū, vel confessio Pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Statim vero subdit. Verum ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis Pœnitentie, nec communis gratia denegetur, si ea, etiam amissō vocis officio per indicium integri sensus querere comprobentur. Quod si aliqua ægritudine ira fuerint aggravati, ut quod paulò ante poscebant, sub presentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul, & pœnitentie, & reconciliacionis beneficium consequantur. Quis credat

C 4

vete-

veterem Ecclesiam his ægris, veniam vocibus, multo gemitu exposcentibus denegasse, quibus nec gementibus, nec loquentibus, sed soli indicantibus votum suum, veniam, plenam communionis reconciliationem concedi videtur. Leo, antiquorum Canonum retinentissimus, unde hic statim jubet servari paternos Canones, in reconciliandis iis, qui fidem deseruerunt peccarant.

**23.** Hæc sanè sufficientant. Recolenda tam sunt, ut veritas illustretur magis, ea duo, quæ Capite præcedenti attulimus, nempe Canonum duodecimus Nicænus, quo Patres, non solum volunt, neminem in morte communione variari, sed præterea mandatum hoc vocant regiam antiquam. Ergo falsum est, serò Pontificibus fuisse antè Nicænum Concilium niam in morte negatam. Alterum est, quod asterit Tridentinum, nempe semper custoditum in Ecclesia fuisse, ut quilibet in morte quibusvis censuris, & peccatis, posset absolvere. Ergo falsum est, aliquando ex ipsius Ecclesiæ Canone fuisse aliquibus in morte, eò quod pœniteret, veniam denegatam.

**24.** D. R. Manus darem, sed adhuc negoti um facessunt ea Innocentij verba non improbantis, imò approbantis rigorem antiquum quem ibi supponit, Ecclesiæ præxim fuisse, ne gandi, non solum communionem, sed veniam.

### CALUMNIA III.

41

ij, quos nimis serò suorum scelerum pœnitentia-  
ret, ut prædicta ejus verba significare quatuor  
argumentis validissimè ostensum est ex Morino.  
Certè Innocentius nec errare potuit in eo, quod  
refert de ea veteri praxi, ut potè illis temporibus  
vicinus, nec in eo, quod docet, approban-  
do ipsam: vel si potuit errare Innocentius, er-  
rare potuit Cœlestinus, Leo, & si qui sunt alii  
Pontifices, qui prædictum veteris Ecclesiæ ri-  
gorem reprobare videntur.

D. D. Respondeo, verba Innocentij posse 25.  
sine ulla vi ita exponi, ut non significant, con-  
sueisse veterem Ecclesiam negare omnem ve-  
niā serò Poenitentibus, adeoque ex illis non  
constare, ab eo approbatum fuisse hujusmodi  
rigorem, quamvis dicat *eis meritò negatam*  
*fuisse communionem.* At è contrà verba Cœ-  
lestini, Leonis, ita clarè reprobant prædictum  
rigorem, ut de mente ipsorum dubitari non  
possit. Igitur ijs omnino adhærendum est.

D. R. Hoc ipsum negatur, Innocentij  
verba non esse clarissima exponentibus, ut nos  
fecimus, totum Sancti Pontificis textum. Ex  
eo enim clarissimè habetur, veterem Ecclesiam,  
non solam communionem, sed veniam quoque  
prædictis ægris negâsse.

D. D. Id etiam concedam, nego tamen 26.  
omnem veniam negâsse. Hoc ille textus non  
exprimit, cùmque duplicitis interpretationis

G. 5

sit

fit capax, jam ita explicandus est, ut Cœlo  
ftino, Leoni, communi Theologorum, & Ec-  
clesiæ sentui non aduersetur. Duo igitur sup-  
ponenda. Primum est, duplicem ab Ecclesiæ  
veteri concedi solitam peccatorum absolu-  
tionem, unam purè Sacramentalem per eos ritus  
& preces, quas peragebat Sacerdos, cum ali-  
quem in Pœnitentium numerum referebat, u-  
ostendere conabor, cum contrà undecimam Ca-  
lumniam disputabo. Per hanc absolutionem  
reconciliabatur quidem Pœnitens cum Deo, sed  
non cum Ecclesia, cui per publicam pœnitentia-  
tiam satis faciendum prius erat, nec cum Altar-  
i, quare ius minimè dabat ad communionem.  
Altera venia, seu absolutio, quæ impletâ fo-  
lium pœnitentiâ dabatur, erat utriusque for-  
interni, externique: per eam quippe Pœnitens  
reconciliabatur iterum cum Deo, & posteac cum  
Ecclesia, cui satisfactum erat, & cum Altari  
ad quod accedere poterat, ut offerret, & u-  
cum aliis Fidelibus de Sanctissimâ Eucharistiâ  
communicaret.

27. Supponendum secundò est, consuevit  
Patres duo Fidelibus inculcare perpetuò, net-  
pè vim pœnitentiæ, id est externalium corporis  
afflictionum, ad obtinendam à Deo remissio-  
nem plenam peccatorum, culpæ videlicet, &  
pœnae. Et rursus virtutem maximam Eucha-  
ristiæ ad destruenda peccata. Nam Ignatius  
epist.



Cels epist. 14. ad Ephes. vocat hoc Sacramentum  
& Ec vitam in Deo concilians, medicamentum pur-  
r sup gans virtus, & omnia pellens mala. Cyprian.  
cclesia serm. de Cæna Domini, dicit, eo extingui pec-  
solution catum, & obtineri veniam. Ambros. lib. de  
ritus Benedict. Patriarc. cap. 9. Panis hic remissio  
m al peccatorum est, quod ipsum docet serm. 17. in  
at, u Psalm. 118. & lib. 2. de Pœnit. cap. 3. Chry-  
m Ca soft. hom. 83. in Matth. de eo loquens, remis-  
sionem (inquit) peccatorum facit. Similia  
tionea habet Aug. cap. cum omne crimen de consecr.  
eo, de dist. 2. & Cyril. lib. 4. in Jo. cap. 14. utitur  
nitem que exemplo Christi, qui tactu suo mortuos  
vivificabat.

His positis, cùm post primam absolutio- 28.  
nem adhuc Pœnitentes, tanquam rei haberentur ab Ecclesiâ, cum qua nondum erant reconciliati, nec liberi adhuc essent à reatu pœnæ, utpote non perfuncti pœnitentiâ, privarenturque Eucharistia Sacramento, quo remitti peccata audiebant, illud siebat, ut primâ veniâ donati, vix absoluços se crederent, aut non satis tutos, donec donarcntur etiam secundâ, quam propterea qui negabat præfertim moribundo, Novatianismum quemdam præferebat, ut ait Innocentius, & alicui periculo exponebat ægrotum, privans ipsum eâ ulteriori reconciliacione, & communione, eâ ferè ratione, quasi nolim moribundo ministrare Sacramentum pœnitentia-

nitentiæ, alicui illum periculo expono, quæ  
vis noverim, eum antea contritionis form  
lam etiam ex animo recitâsse.

Video, tibi hæc non satis arridere, videri tibi satis luminis inde astulgere ad Innocentij textum declarandum, sed illud tecum perpende, argumenta, quibus probavimus, an fuisse sero penitentes ab Ecclesia unquam projectos, petita ab universo Theologorum, in Ecclesiæ consensu, ex evidenti ratione, ex chrysostomo Cœlestini, & Leonis responso, ex concione Nicæno, & præsertim doctrinâ Tridentini esse ineluctabilia; adeoque aut afferendum, Innocentium in referendâ, aut approbandâ veteri consuetudine errasse, quod afferi non debet, aut ejus verba hac, vel simili ratione, qua ipsum explicuimus, esse interpretanda.

